Misc. 650 n. 41

LEX CLEMENTIÆ IN LINGUA,

SIVE

DE S. SPIRITUS ADVENTU.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ORATIO

Habita in Sacello Pontificio

AD SANCTISSIMUM D. NOSTRUM

CLEMENTEM XI.

PONTIFICEM MAXIMUM.

A' JOANNE BAPTISTA VICECOMITE

Seminarii Romani Convictore.

ROMÆ, MDCCI.

Typis Lucæ Antonij Chracas. Prope M. C. INNOCENTIANAM.

SUPERIORUM FACULTATE.

Google

196

Digitized by Google

CLEMENTI XI.
PONTIFICI MAXIMO.

JOANNES BAPTISTA VICECOMES
FELICITATEM.

SI umquam ante aliàs, Beatissime Pater, perinde, ut ipſo Pentecoſtes die, ſpectabilis in Eccleſiæ Senatu, Spiritus ſanctus apparuit; id certè fuit, cum vehementioris auræ motu, conſpirantibus omnium ſuffragiis, renuntiatus es Pontifex. Alios ille, veluti columba prætervolans, ad ſummum in terris imperium deſignavit, eratque providendum eligentibus, ne momentum temporis, ac particula boni doni, eos præteriret.

Digitized by Google

Te autem, diſpertitis veluti linguis è cœlo, & quodammodo ſedens ſuper capita eligentium, ipſos tres dies, inaudito ad hanc ætatem exemplo, vocavit ad Principatum. Duplici tamen de cauſa factum eſt, ut, qui neſcit tarda molimina, in eo tamdiu cunctaretur: altera, ut inſignem de tua modeſtia referret victoriam; altera, ut quem vellet, faceres ipſe Pontificem. Vicit penè victo ſimilis, eamque legem reluctanti tuæ modeſtiæ impoſuit, ut annuens omnium votis, ipſe te vel invitus èligeres. Fuit hæc lex clementiæ in lingua ejus, *uni tibi dura, omnibus gratiſſima, ex eàque par erat, ut nomen veluti victor indueres: verè Clemens, quòd eam acceperis. Fidenter itaque ante tuos pedes, hæc mea de ſancti Spiritus adventu, ſe ſiſtit oratio. Facit animos, & quòd manifeſtior ille numquam ad nos redierit, quàm cum te nobis Pontificem dedit; & quòd legem clementiæ, quam Apoſtolis tulit, ad primam inſtitutionem Eccleſiæ, impoſuerit tibi, ad ejuſdem felicitatem: Quarè non eſt dubium, quin æquè te* CLEMENTEM *erga minimum munus, ac maximam dignitatem exhibeas.*

ORA-

ORATIO.

NOVAM è cœlo legem, BEATISSIME PATER, clementiæ legem, ac pacis, divini Spiritus lingua promulgat; nec eam quidem lapideis tabulis, ſed cordibus noſtris conſignatam accipimus. Eſt, in auræ vehementis impetu, efficacitas legis; eſt, in manſuetudine blandientium flammarum, legis exemplar. Cur verò non modo legem, ſed & linguam ſuam tradit Apoſtolis Deus, niſi, ut legem ipſi ferant in lingua? Hoc enim optandum in Eccleſia, quam in muliere forti ſapiens Rex adumbravit, ut *lex clementiæ in lingua ejus* loquatur. Prov. 31. 26.

Nulla eſt lex Dei efficacior, quàm exemplum; nec aliàs magis exemplo fuit clementiæ Deus, quàm cum hoc die in lingua ignis apparuit. Devenerat ad ſummam crudelitatem, Dei Filio in crucem acto, humani cordis perverſitas. Quid porrò in ultionem tanti ſceleris factum? Erudiens ad charitatem ignis in altari crucis accenſus, victimas nos Domino pacificas reddit. Quis non expectaſſet

vin-

vindictæ fulmina? Flammæ amoris è cœlo deſcendunt. Quis non dexteram Patris armatam pro Filii nece reformidaſſet? Apud nos loquitur Verbi vicaria ſancti Spiritus lingua, & legatione fungitur pacis. O admirabile clementiſſimæ reconciliationis exemplum! O legem planè divinam, quæ ſimiles Deo Apoſtolos dignitate miniſterii, ſimiliores efficiat prærogativâ manſuetudinis!

Act. 2. 3. Quid autem eſt, quod *ſedit ſupra ſingulos eorum* ſub ſpecie ignis Deus, niſi, quod tamquam habitu majeſtatis legem daturus, Principes Eccleſiæ ſibi delegit in ſolium? Quid eſt, quod diſpertitis in omnes linguis, capiti ſingulorum clementer incubuit, niſi, quod conſumpta veteri lege, novam perinde legem, atque linguam ſubſtituit? Nec inuſitatum hoc Deo. Mutat Senenſis Virgo cum Chriſti corde cor ſuum, mutaverunt & Apoſtoli linguam. Nonne *cæperunt loqui variis*
4. *linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis?* Quæ autem erat vox eorum, niſi evangelium
2. ad Corinth. 5. 19 pacis, & quod in ipſis poſuit Deus *verbum reconciliationis?*

Et facilè quidem Eccleſiæ Principes legem gratiæ, & pacis à Deo, denuntiant. Tot enim ſunt voces eorum, quot virtutes; tot

tot linguæ, quot ſpectatores. Quicquid illi ſanctè, manſuetèque faciunt, id omnium ſermone exceptum tranſit in exemplum, & legem. Quod ſi eodem vinculo lingua cum corde conjungitur, non mirum eſt ſi omnium linguis loquantur, qui omnium poſſident corda. Omnis olim populus ad Sinai radices voces Dei videbat: quidni audiet virtutes Principis? Eſt enim æquè mirum videre quod audis, & audire quod vides. Vox eſt Principis, pietas in omni ritu, cultuque divino; miſericordia erga jacentes ſuper lectum doloris; modeſtia in majeſtate; in omni virtutum exemplo adumbrata divinitas. Ejuſmodi voce Franciſcus Aſſiſias apud unam urbem concionem habuit, Sanctiſſimus verò quiſque Princeps apud omnes. Ideò Rex ille manſuetus linguam ſuam calamum ſcribæ vocavit: legem enim, qui ſic loquitur, ſcribit.

Exod. 20. 18.

Pſal. 44. 2

In more fuit Ægyptiis oculum ſceptro præfigere. Melius clemens lingua præfigatur. Hoc fortaſſe fuit Aſſueri ſceptrum *quo ſignum clementiæ monſtrabatur*. Hoc certè datum Eccleſiæ, ut non ſtatim more legis Moſaicæ peccantes puniret, ſed clementèr ad pœnitentiæ remedia vocaret.

Heſt. 8. 4.

Beda.

His

Digitized by Google

His itaque auſpiciis, feliciter hoc die regnare cœpit in Apoſtolis regale Sacerdotium; ut haberet neſcio quid ſimile Petri ſedes in terris, ac Dei ſedes in cœlo. Iris eſt in circuitu ſedis divinæ; ardent ſeptem lampades ante thronum, circumſtant Reges, & coronas demittunt. Eſt Petri ſedes, in tanta luce majeſtatis, iride clementiæ circumfuſa; ſeptem, in totidem donis, lampadas cœleſtis ignis ante illam accendit; ſuas ad hanc ſedem detulere ſemper coronas Reges terrarum, & ſemper quidem deferent. Utinam ex ea clementiæ legem, & pacis accipiant.

Apoc. 4. 5.5.10.

Digitized by Google